



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Manvale Parochorvm, Sive Institvtones & Praxes Tum
Vitæ, tum Officii Pastoralis**

Musart, Charles

Monachii, 1654

XIII. De interruptione, & dimidiatione Confeßionum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41616

110 *Institutionum Pastoralium*
nūsue intra mensēm, hebdomadāmūe
solitus sit, & quando opus est, (vt fere
sit in peccato luxuriæ) quibus cum
personis, modis, circumstantiis, quan-
do hæc speciem peccati mutant: nam,
quæ tantūm imminuunt, aut aggra-
uant inter eandem speciem, censem
boni Theologi, nihil opus esse enu-
cleatiūs explicari, præsertim in ista
rerum confusione, aut in materiâ lu-
xuriæ: vbi nimia diligentia pericu-
loſa.

N V M: XIII.

*De Confessionis interruptione, & di-
mī-
diatione.*

CVm cœperis audire confitentem,,
perge, dum absolueris, nisi rati-
nabilis causa interruptionem aliquam
suadeat: parum, pro nihilo est; plus
moræ conceditur, si infirmus euocet,
si persona illustris in loco interpellat,
& res vrgeat, de quâ monendus est
poenitens, ne offendatur. Subinde et-
iam recedendum tantisper, aut diffe-
rendum

tendum, cum bonâ veniâ pœnitentis ad quærendam resolutionem dubii casûs, quem ipse explicare non potes. Quod si tamen malit redire postea pro resolutione, credâsq; redditum, absoluere poteris, si rite & integrè sit confessus. Cùm interrupta est confessio, & deinde pergitur, nihil opus est ea repeti, quæ rectè confessa sunt, modo saltem confusam memoriam retineas eorum; ut pro iis satisfactionem imponere possis. Consultius tamen est, in fine confessionis illa iterum subiici clauibus hâc vel simili formâ: *de prius, & nunc confessis doleo, petog, absolutionem.*

Porrò dimidiare confessionem, id est, partem mortalium confiteri, à quâ absoluas, partem aliam relinquere, à quâ tu, vel alius postea, non licet, nisi rationabilis causa subsit, qualis non est frequentia pœnitentium in magnâ celebritate Festi: satius enim est paucos bene confitentes audire, quam multos

112 *Institutionum Pastoralium*

multos malè : si tamen tantus est affluxus , aut alia ratio festinationem vrgeat, mone pœnitentem , vt superflua resecet, mortalia sola recenseat, è venialibus paucula : iuuerit etiam vti interrogationibus succinctis , minus necessaria pro remediiis in aliud tempus reiicere, monito pœnitente, vt interim conquiescat, studeatque vitam corrigere. Specialis quæstio est, an aliquando ob casus reseruatos confessio dimidiari possit : quod iam videbimus.

NVM: XIV.

De Casibus reseruatis.

Sola mortalia reseruantur ; & summo quidem Pontifici sola illa, quæ annexam habent excommunicationem ipsi reseruatam : vnde si excommunicatio illi non reseruatur, aut reuerà non fuit incursa propter ignorantiam censuræ, vel certè fuit aliunde sublata , definit peccatum esse reseruatum. Inter reseruata Pontifici, &

quæ